







1028 K 944  
9895  
5,22

77

CONSILIVM  
BENE MERENDI DE VNIVERSO HVMANO  
GENERE INGENII SVpra HOMINEM ELATI  
DOCUMENTVM

---

---

PROLVSI O

QVA AD

ORATIONEM  
ALFREDICAM

PROFESSIONIS PHILOSOPHIAE EXTRAORDINARIAE

AD D. IVL. CLXXX

PVBLICE RECITANDAM

OMNI QVA PAR EST OBSERVANTIA INVITAT

FRANCISCVS VOLKMAR REINHARD

---


---

VITEBERGAE,  
LITTERIS ADAMI CHRISTIANI CHARISIL

1780

415









CONSILIVM  
BENE MERENDI DE VNIVERSO HVMANO  
GENERE INGENII SVpra HOMINEM ELATI  
DOCVMENTVM

**E**tsi omnis historia hoc habet, vt varietate rerum ac nouitate euentuum ducat legentium animos, et afficiat insigniter; optimus tamen quisque mouetur inprimis eorum memoria, qui, praeclari facinoris, aut artis bonae famam quaerentes, hoc egerunt, vt ingenio, laboribus, virtute, sapientia denique reliquis ventri deditis atque somno antecellerent, suiue memoriam quam maxime longam efficerent. Quorum vti quisque fuit laborum patientissimus, in contemnendis vero voluptatibus, honore, diuitiis, omninoque rebus humanis fortissimus: ita solet maxi-





me coli, et admiratione dignus haberi. Sed quoniam in magna rerum copia aliud fere solet alii natura iter ad gloriam ostendere; etsi magnam nominis famam omni tempore habuerunt ii, qui ciuitates aut nationes bello diuicerunt: eorum tamen memoriam, qui, alieni ab ea ferocia, quae vulgo solet inesse in victoribus, profuere quamplurimis, et auxere laboribus, ingenio, prudentia rerum publicarum salutem, quis est, quin maxime deueneretur et amet? Quorum consilia quasi pleniore ore laudamus, quo grauiora fuerunt elementa, quae pepererunt; et quo maior eorum multitudo, de quibus bene meriti sunt. Cum igitur gentium singularum societates, et rerum publicarum, ab immensa illa generis humani societate in exiguum angustumque concludantur: quantum et quam diuinum censebimus, *omnibus* prodesse velle, et elaborare in eo, vt ad *communem hominum omnium utilitatem* aliqua fiat accessio? Etenim vt is, qui reipublicae prodest, facile praestat ei, qui tantum suis; ita, qui de vniuerso humano genere bene mereri posset, immenso propemodum spatio post se relinqueret reliquos omnes. Tanta vero magnitudinis speciem, si historiam audimus, nemo complexus est animo praeter *auctorem Christianae religionis*, in quo fuit mentis tanta altitudo, et hominum omnium tantus amor, vt corrigendi genus humanum ac beandi ingens consilium caperet. Quod consilium mihi semper tantum visum est, vt, si nullo alio argumento constaret, Iesum fuisse oratorem diuinum, humanoque generi diuinitus concessum *sotera*, vel sola tantae rei contemplatio ad colendam eius aucto-



auctoritatem me moueret. Sed obseruasse mihi videor, hunc locum ab his, qui religionis Christianae veritatem demonstrent, fere negligi. Quamquam enim copiose de beneficiis iis differunt, quae sunt a Domino humano generi tributa: hoc tamen vulgo praetermittunt, *ipsam deliberationem, ipsumque, haec omnia tribuendi consilium tantum esse ac tam excelsum, ut satis ostendant, Iesum fuisse virum plane singularem ac diuinum.* Hac igitur de re nunc pauca differere, mecum constitui. Ac primo quidem *ipsum consilium Domini, de vniuerso genere humano bene merendi, quale fuerit, et qua in re positum, paucis ostendam; deinde docebo, ante tempora Iesu neminem tanti consilii vel notionem habuisse, et maximorum hominum animos ad eius animum fuisse angustos; demonstrabo denique, quam vim habeat hoc consilium ad firmandam auctoritatem Iesu, et declarandam dignitatem eius singularem atque diuinam.*

Non iam disputabimus *de moribus et animo Iesu, cuius notationem ac veluti imaginem iam alij satis accurate expresserunt* <sup>a)</sup>. Nec ea pars consilii Iesu hic a nobis attingenda est, *quae cernitur in expiandis morte violenta, et eluendis sanguine generis humani delictis; quod beneficium*

A 3

quam-

<sup>a)</sup> Veluti DVCHAL in *Presumptive Arguments for the Truth of the Christian religion*, Serm. I. cuius libri vernacula versio prodiit Tigur. 1762. Addenda sunt, quae S. V. LESS habet: *Wahrheit der Christl. Rel.* pag. 627. sqq. et RICH. STEELE in libello, cuius vernacula versio inscribitur: *Christlicher Held, oder Beweis, daß keine andern Grundsätze, als die von der Religion hergenommen werden, einen grossen Mann zu bilden fähig und hinlänglich sind; inprimis pag. 43. sqq.*





quamquam et ipsum late patet, et ad omnes pertinet, hic propterea a nobis praetermittitur, quod nonnisi ea hic memorari possunt, quibus etiam *alii viri probi* interdum deuinxerunt sibi genus humanum, vt ex hac comparatione intelligatur, quam angusti etiam optimorum hominum animi fuerint, si contendantur cum auctore Christianae religionis, qui non propinquis, non patriae, sed vniuerso generi humano consulere secum constituerit. Intactas vero relinquimus in hac causa lites eas, quas nuper excitauit acerbus ille Guelpherbytanus disputator de consilio Iesu; cuius furor cum fit ab aliis iam satis repressus<sup>b)</sup>: nos hac in re sequemur scriptores rerum ac vitae Domini sacros, ac docebimus breuiter, quae fuerint eius consilia, et quid acturum sese, professus sit, inter homines.

Sunt autem duo, quae scriptores de consilio Iesu tradunt; primo quidem hoc, eum consulere voluisse *omnibus*, et complecti *vniuersum genus humanum*; deinde beneficium, quod hominibus tribuere voluerit, ponunt in *emendatione hominum omnium, qua perducerentur ad sempiternam felicitatem.*

Continuit quidem sese, dum in his terris viucret, Christianae religionis auctor Palaestinae finibus, exteros docendo vix attigit. Professus etiam est, suam operam popularibus

tan-

b) Conf. in primis, S. R. SILBERSCHLAG *Antibarbarus*, part. II. Berol. 1779. et SEMLERI, *Viri Cel. Beantwortung der Fragmente eines Ungenannten, insbesondere von dem Zwecke Iesu und seiner Jünger.* Huc etiam pertinet Guil. BELL, *Angli Untersuchung der göstlichen Sendung Iohann.*





tantum deberi <sup>c)</sup>), quos ita docuit, vt, vsus quauis opportunitate, ad morum emendationem et honesta quaeuis eos cohortaretur. Iussit etiam suos, dum ipse adesset, nonnisi Iudaeos docere, exteros, atque ipsos etiam Samaritanos, intactos relinquere <sup>d)</sup>). Sed cum haec ageret, saepissime declarauit, ad suam curam *omnes* omnino homines pertinere, nec Iudaeos tantum caros esse Deo, cuius auspiciis missum se aiebat. Sic cum aliquando, apologo quodam proposito, doctrinae suae sectatores cum semine bonae indolis comparasset, monuit ipse, agrum, in quo crescere debeat hoc semen, esse τὸν κόσμον <sup>e)</sup>), et indicauit, se effecturum, vt vbique sint homines verae virtutis studiosi. Et cum alio tempore centurioni Romano beneficium aliquod tribuisset, miratus hominis ingenuam indolem, praedixit fore, vt multi ex vniuerso terrarum orbe barbari felicitatis eius participes fiant, qua fruuntur pii maiores Iudaeorum <sup>f)</sup>). Vnde etiam suis, per quos humano generi consulere volebat, praedixit, ipsos a popularibus perditis omni quidem modo vexatum iri; sed eam rem habituram esse hanc vim, vt et Iudaei, et reliquae gentes instituantur, ac sapere discant <sup>g)</sup>). Solebat sectatores suos  
saepe

*Iohannis des Täufers und Jesu Christi*, cuius libri versionem nuper dedit HENKE, *Vir. Cel.* quam etiam epimetro aduersus disputatorem illum auxit — Alios multos iam praetermitto.

c) Vid. *Marth.* XV. 24.

d) Conf. *Marth.* X. 5.

e) Vid. *Marth.* XIII. 38.

f) Vid. *Marth.* VIII. 11.

g) *Marth.* X. 13.





Saepe describere imaginibus, a grege desumptis; hinc alio loco fatetur, se etiam alias oves, praeter has, quas tunc curaret, hoc est, praeter Iudaeos habere, quarum curam in posterum acturus sit <sup>h)</sup>). Clarissime vero consilium suum late patens et homines omnes complexum aperuit, cum ex orbe terrarum discessurus, extrema mandata suis daret, eosque iuberet, factis per orbem terrarum itineribus, instituere gentes omnes, atque corrigere <sup>i)</sup>). Neque sic complexus est Christianae religionis auctor aequales tantum suos suorumque; sed cum conuersio illa, quam moliebatur, tanta esset, ut ad omnem posteritatem pertineret, et per futuras hominum aetates porrigeretur: facile intelligitur, eius consilium esse ita comparatum, ut maius augustiusque cogitari nullo modo possit.

Sed nec praeclarius cogitari potest, et humano generi utilius. Nam constituit secum Christianae religionis auctor *corrigere homines omnes*, et, qui praeceptis salutaribus obtemperare vellent, eos *perducere ad veram felicitatem*. Tria autem sunt, quibus illa emendatio, quam efficere decreuerat, continebatur. Ac primo quidem *euertere voluit et abrogare cultum illum Deorum*, qui eo tempore late dominabatur per omnem terrarum orbem, et a quo veluti fonte manabant scelera fere omnia. Saepe enim profitetur, se ad religionem patriam adducturum gentes reliquas, quae doctrinae de Deo vno superstructa erat tamquam fundamento.

Quod

<sup>h)</sup> Conf. Ioh. X. 16.

<sup>i)</sup> Vid. Matth. XXVIII. 19. 20. Marc. XVI. 15. 16.



❖ ❖ ❖

Quod placitum cum sit coniunctum cum multis aliis, ut de providentia Dei, et cura rerum humanarum, de animi immortalitate, aliisque multis, sine quibus nulla est mentis sapientia, nulla animi tranquillitas: manifestum est, Christianae religionis auctorem voluisse genus humanum gravissimarum rerum scientia augere, et ad veram sapientiam adducere — Alterum, quod perficere secum constituerat, cernitur in *emendatione morum et animi ad veram virtutem conformatione*. Monet enim suos, uti gentes omnes observare iubeant, ac tenere, quae praecepisset, omnia \*). Atqui ea praecepta proposuit, quibus nihil cogitari potest praestantius, nihil ad corrigendos hominum animos efficacius, nihil denique ad augendam generis humani felicitatem utilius †). Efficere itaque apud homines omnes illud decrevit, quod, uti liberis, propinquis, civibus contingeret, omni tempore optavit optimus quisque, et quod semper difficilimum iudicatum est a philosophis omnibus — Voluit denique *genus humanum communi quodam amoris et amicitiae vinculo ita devincire, ut, odio omni delecto, et conciliatis opinionum doctrinarumque vanarum diuortiiis, generis hu-*  
*mani*

k) Conf. *Math.* XXVIII. 20.

l) Conf. *Essai de philosophie morale, attribué à Mr. de MAUPERTUIS, chap. VI.* Alios enim, qui hoc argumentum tractarunt, iam praetermitto, quoniam, cum sint Christianae religionis doctores, videri facile possunt partium studiosi. MAUPERTUISIUS autem nemini erit in hac causa suspectus, vel nimium favere videbitur Christianae religionis dignitati.





mani non nisi una ciuitas et respublica esset, vel; vt ipse ait, vnus grex, cui praesit pastor vnus. Hinc fit, vt copiosissimus fit in commendanda hominum omnium caritate, ac saepissime moncat, sectatoribus suis hoc agendum esse, vt ipsis sint eadem studia, eademque voluntates <sup>m</sup>). Quod igitur Pythagoras in amicitia paucorum voluit, vt vnus fiat e pluribus <sup>n</sup>); eam animorum consensionem efficere voluit Christianae religionis auctor in hominibus omnibus, atque sic deuincire humani generis societatem. Quae arctior hominum omnium colligatio ac familiaritas, quis non videt, quam salutaris sit, et ad efficiendam etiam singulorum felicitatem necessaria; atqui huic amori omnium erga omnes tamquam fundamento imposuit Christianae religionis auctor praeceptorum suorum veluti aedificium <sup>o</sup>). Ex his omnibus intelligitur, consilium, quod Iesus ceperit, non modo maximum esse et patere latissime, verum etiam ita comparatum, vt omnia complectatur, quae humanam felicitatem efficiant, augeant, atque conseruent, adeoque tali consilio cogitari posse nihil diuinius.

Sequi-

<sup>m</sup>) Conf. *Luc. X. 25. sqq. Matth. XXII. 34. — 40. cet.* Inprimis autem huic pertinet Iohannis Euangelium, quod, hunc amorem fere semper a Domino inculcatum esse, satis docet.

<sup>n</sup>) Vid. CICERO de *Officiis* l. I. cap. 17. et de *Legibus* l. I. cap. 12.

<sup>o</sup>) PLATO cum videret, quam efficax sit omnium erga omnes beniuolentia ad augendam salutem publicam, nec intelligeret, quo demum vinculo arctius deuinciri possit humana societas: in libris iis, quos de *republica* scripsit, ita finxit ciuitatem suam, vt *communes*, consereret, *uxores esse debere, communem etiam prolem*. Sic enim putabat ciues omnes eo necessitatis



Sequitur, vt ostendamus, ante auctorem Christianae religionis rem tantam ac tam praeclaram in mentem venisse nemini; sed Iesum fuisse primum, qui studium iuuandi homines, eorumque commoda augendi, ad omnes traduceret. Etsi enim iam ante tempora Christi multi fuerunt viri nobiles et eximii, qui omnes vires, omnemque vitam ad vsum aliorum transferrent, iisque vel ingenio et sapientia, vel virtute et constantia prodesse: omnes tamen nonnisi generis humani cuidam parti sua se debere existimarunt. Nemo vnquam fuit, qui ad amorem hominum omnium erigeret animum, vel emendandi genus humanum consilium capere auderet; a quo consilio quam alienus fuerit etiam optimorum hominum animus, ex eo intelligitur, quod vltra patriae fines, quam vnā omnes omnium caritates complexam esse, CICERO ait, nemo fere vnquam progressus est. Vnde factum est, vt talis tantique consilii, quale quantumque cepisse vidimus Christianae religionis auctorem, apud veteres ne notio quidem reperiatur. Quod vt luculentius pateat, primo quidem eorum, qui de genere humano bene meriti censentur, memoriam breuiter reuolemus; deinde ostendemus, nec prae-

B 2 *cepta*

stitatis et amoris vineulo coniungi posse, quo fratres, parentes et liberi, omninoque consanguinei contineantur. Hoc enim fuisse philosophi consilium, cum πολυθεύλων illam vxorum κεινοσίαν suaderet, ipse late docet de Republ. l. V. pag. 659. Quod itaque PLATO monstra fingendo, nunquam consecutus esset in parua ciuitate; id placitis plane diuinis perficere decreuit Christianae religionis auctor apud homines omnes, apud multos perfecit; atque sic ostendit, quantopere diuina sapientia superet humana commenta.





*cepta philosophorum de moribus tantae magnitudinis continere vestigia; contemplabimur denique fabulas antiquorum poetarum, ut intelligatur, ipsos poetas tale ac tam praeclarum consilium ne fingendo quidem attigisse.*

Etsi igitur eorum virorum memoria, qui beneficiis cumularunt alios, et virium omni contentione auxerunt salutem publicam, animo meo semper iucundissima fuit; ab eorum enim iniquitate alienissimus sum, qui, cupiditate abrepti nescio qua, censent, homines, a vera religione alienos, nihil gerere, moliri potuisse nihil, quod sit laude dignum, vel probandum: hoc tamen verissime dici puto, inter tot praeclaros homines, in quos hodieque tanquam in illustra exemplaria intueri quemque decet, fuisse neminem, qui angustias illas humanae mentis superaret, atque *omnes* iuuandi homines consilium aliquod caperet. Atque ut initium faciamus ab *Hercule*, qui maximum nomen apud veteres adeptus est praeclaris facinoribus ac beneficiis, in genus humanum collatis, tale tamen ac tam salutare consilium ab eo captum esse, quis quaeso censuerit. Etenim ut taceam, veteres ne sciuisset quidem satis, quem potissimum Herculem colerent; plures enim fuisse, quorum praeclare facta tandem in vnum congererentur, antiqui scriptores ipsi fatentur <sup>p)</sup>: quis nescit, ne fabulas quidem tale consilium Herculi tribuere, qui ira Iunonis ad delenda monstra *inuitus* fere impellitur. Nec laborasse traditur in instituendo, corrigendo, formando humano genere, sed in liberandis hominibus a variis monstris, ac

defen-

<sup>p)</sup> Conf. CICERO de Nar. Deor. l. III. c. 16.



defendenda viribus manuque aliorum vita. Cuius beneficii fructum ne percepere quidem omnes homines, sed fuit quibusdam gentibus, inter quas versatus esse perhibetur, proprius — *Urbiūm* vero conditores, qui congregatam multitudinem e prima illa feritate ad mansuetudinem traduxerunt, ac docuerunt, ut communi iure, et legibus obtemperare, etsi praeclare de suis meriti sunt, longissime tamen absunt ab instituto illo amplissimo, quo auctor Christianae religionis, suos quasi ac dissipatos per orbem terrarum homines congregare, et aliquam generis humani ciuitatem ingentem condere decreuit — Atque sic etiam de iis iudicandum est, qui viribus ac manu patriam vel defenderunt, vel auxerunt opibus. Talibus exemplis abundarunt olim Graeci et Romani; quis enim ignorat Miltiadis, Themistoclis, Leonidae, Agesilai, Epaminondae, Philopoemenis, Bruti, Fabricii, Camilli, Marcelli, Scipionum aliorumque animos elatos, praeclare fortiterque facta, patriaeque sanctissimum amorem? Quorum virorum virtutem, rerum humanarum contemptum, sapientiam et animi magnitudinem, qui non miratur, et amat, vel tantis exemplis non mouetur et accenditur: nae, eum humilem censeo, et honesti sensu fere experitem. Sed tantorum virorum magnitudo quid est ad excelsum Iesu animum, qui non angustis patriae finibus cohibetur, sed homines omnes ciues censet, omnibus consulit, omnes iuuare decernit et beneficiis augere? Fuerunt quidem olim, qui vniuersum genus humanum animo complecterentur quodammodo, sed magis stulte et arroganter, quam prudenter





et pie. Talis fuisse perhibetur *Sesoftris*, *Alexandri*, *Pyrri* libido, vel potius furor, qui vastassent quidem, si potuissent, terrarum orbem, et sub iugum misissent genus humanum; digni autem vix sunt, quorum nomina hic legantur, cum de his instituta disputatio sit, qui consilio, prudentia, virtute *profuerint* aliis <sup>q)</sup> Quae autem XENOPHON de *Cyroe* reliquit, ea, ut cum CICERONE loquar, non ad historiae veritatem, sed ad institutionis exemplum scripta sunt <sup>r)</sup> nec tamen assequuntur eam animi magnitudinem et consiliorum praestantiam, quas fuisse vidimus in auctore Christianae religionis. Idem dicendum est de *Caesare*, cuius excelsum animum ac virtutes plane singulares tantopere mirantur veteres — <sup>s)</sup> Veniamus ad *legum latores*, et *philosophos*. Atque illis quidem, dici non potest, quantum debeant civitates, et quam salutare sit consilium, gentes formandi legibus, et respublicas constituendi <sup>t)</sup>. Igitur recte laudantur septem illi

q) Conf. SENECA de *Benef.* l. I. c. 13. Nec poenitebit legisse, quae de talibus consiliis praecipit TH. ABBT, *Vom Verdienst* pag. 216. sqq.

r) Conf. DIOG. LAERT. l. III. *segm.* 34. et quae MENAGIVS ad eum locum notavit,

s) Conf. quae de animo Caesaris disputat, veterum auctoritatibus vsus, BERGER, in libro aureo, de *naturali pulcritudine orationis* pag. 84. sqq. Verissimum est FERGIVSONI de hoc viro iudicium: *der Gegenstand der Begierde des Caisars war nicht, gros oder gut, sondern der erste zu seyn: und zwar in Ansehung der Sachen, die von dem grossen Hauffen bewundert werden; lieber der erste in einem Dorfe, als der zweire in Rom.* Vid. *Grundsätze der Moralphilosophie*, cuius libri versionem vernaculam dedit GARVE *Vir. Cel.*

t) Legenda sunt, quae CICERO disputat de *Officiis* l. I. c. 22. ad minuendam eorum opinionem, qui arbitrantur, res bellicas maiores esse, quam urbanas.



illi Graeciae sapientes, non tam propter philosophandi subtilitatem, quam prudentiam et aequitatem; fuerunt enim, vt verissime Dicaearchus ait apud DI OG ENEM \*)), *ἔτε σοφοί, ἔτε φιλοσόφοι, συνετοὶ δὲ τιτὲς καὶ νομοθετικοί*. Sed quam alieni fuerint legum latores antiqui ab voluntate illa in vniuersum genus humanum, et a consilio, iuuandi omnes, non modo illud docet, quod patriae potissimum rationem habuerunt, ac debuerunt habere; verum etiam illud declarat, quod admiscuerunt legibus suis non pauca, quibus formarentur ciues duri ac feroces, prouisi ad bella et imperandi libidinem, superbi denique ac barbaros prae se contemnentis. Quae omnia cum sint satis manifesta, praesertim si de ciuitatibus Lacedaemoniorum Romanorumque cogitaueris, iam non latius persequar — *Philosophorum* vero, si prudentiam, amorem in genus humanum, studium denique et ardorem, instituendi quamplurimos ac formandi spectaueris, facile princeps est *Socrates*. Quis enim est, qui virum de institutis suis differentem audire apud PLATONEM in *apologia* \*\*) possit, quin commoueatur, et admiretur animi illam magnitudinem, qui consilii sui memor, res humanas omnes infra se positas despiciat. Negat enim, se mortis periculo absterreri a consuetudine cum ciuibus, vel impediri posse, quominus aliis profit, eosque, quauis opportunitate vsus, ad honesta quaeuis cohortetur. Negat, se moueri iudicum suorum auctori-

\*) I. I. segm. 40.

\*\*) Maxime §. 17. 18. Ed. Fisch. Huc etiam pertinent loci multi e *memorabilibus Socratis*, quae ΧΕΝΟΡΗΘΝ reliquit; veluti I. I. c. 1. §. 10.





Cloritate, vel obtemperare ipsis posse, si docendi venia se  
 priuare vellent, et addit magnificam illam vereque diuinam  
 vocem: *πεισομαι δὲ τῷ Θεῷ μᾶλλον, ἢ ὑμῖν.* Profitetur  
 se Dei quodam beneficio ciuitati concessum esse, et tanti offi-  
 cii memorem, per tot annos, neglecta re familiari, vnice  
 intentum salutis publicae, adire sigillatim ciuem quemuis, et  
 vti patres soleant, vel fratres natu maiores, cohortari ad vir-  
 tutis amorem. Sed talis vir ac tantus quantum abest ab illa  
 animi excelsa vi ac virtute, quae apud auctorem Christianae  
 religionis peperit ingens illud consilium, de quo disputaui-  
 mus supra? Socrates laborat in formandis ciuibus suis, et  
 emendandis Athenis; Iesus genus humanum, per orbem ter-  
 rarum late fufum, et aetates hominum omnium futuras cor-  
 rigere decernit. Socrates quamquam videt, quam vanae  
 sint et impiae vulgi de natura Dei opiniones, Deorum cul-  
 tum Athenis non modo euertere non audet, verum etiam  
 dandum aliquid censet opinionibus ciuium, et in istius su-  
 perstitutionis societatem venit<sup>2)</sup>; Iesus istam opinionem de  
 Numinibus fictis prorsus euellere ex animis hominum omni-  
 um nititur, eosque adducere ad Numen supremum, quod  
 adhuc neglexerant. Socrates a consilio suo non absterretur  
 Atheniensium ingratorum minis, ac tandem affectus suppli-  
 cio, vtitur mortis genere minime ignominioso, sed miti et

hone-

2) Conf. PLATO in *Apol. Socr.* §. 14. et XENOPHON in *Apol.* §. II. sqq.  
 Vnde etiam sagacissimi discipuli Socratis semper fauerunt vulgari super-  
 stitioni; conf. DIOGENES LAERT. l. II. *segm.* 56. vbi Xenophon appel-  
 latur *εὐσεβὴς καὶ φιλοθύτης, καὶ ἕρῃα διαγνώων ἰκανός.* Adde Xenoph.  
*Mem.* l. I. cap. 3. §. I.



honesto; Iesus ita capit suum consilium, ut concitet in se odium popularium atrox, exterorum vero, Graecorum imprimis ac Romanorum, risus atque contemptum; tandemque eo supplicio afficitur, quod, iudice Cicerone, crudelissimum terribilissimumque est. Atque omnino quamquam Socratem ex omni antiquitate maxime miror, eum tamen siue rerum grauissimarum scientiam spectes, siue iuuandi genus humanum ardorem, ab iis viris, quos *apostolos* vocant libri sacri, longe superari video; tantum abest, ut cum religionis Christianae auctore ipso comparari posse videatur \*) Reliquos autem philosophos omnes, de singulis enim dicere longum foret, a tali consilio, ac tam salutari, quale Iesum cepisse supra vidimus, prorsus abhoruisse, vel illud docet, quod inuestigationi veri se dantes et amantes otii, ad rem tantam, et cum tot laboribus coniunctam, animum non potuerunt erigere. Manifestum igitur est, ex omni antiquitate, inter tot praeclaros viros, ac bene de aliis meritos, fuisse neminem, cui consilium in mentem veniret, beneficiis obstringendi sibi genus humanum omne, si ab auctore Christianae religionis discesseris.

Sed

\*) Videantur, quae passim hac de re occurrunt in libris, quos nuper de *genio Socraris* scripserunt Viri Docti. Inprimis huc pertinet S. R. LESS libellus: *Parallel des Genius des Socrates mit den Wundern Christi*. Götz, 1777. et IOH. CAR. IVSTI, *V. Cl. historisch philosophische Abhandlung über den Genius des Socrates*. Lips. 1779.





Sed nec in libris philosophorum, quantumvis refertissimis bonorum praeceptorum copia, tantae rei vestigia occurrunt. Fatentur quidem et obseruant, hominum omnium esse aliquam societatem, cuius vinculum sit ratio et oratio; homines hominum causa generatos esse, ut ipsi inter se alius alii prodesse possent \*): sed illa erga homines omnes singularis beniuolentia, quae peperit apud auctorem religionis Christianae omnes iuuandi studium, et amor ille fraternus, quo voluit deuincire hominum societatem, requiritur in scriptis antiquorum philosophorum. Hoc vel intelligitur ex eo, quod non carpunt ingentem illum *amorem patriae*, qui fuit in Graecis et Romanis. E quo quamquam manarunt multa egregia facinora, plerumque tamen etiam fluxit barbarorum aliquod odium, vel certe contemptus, qui alere solebat vincendi cupiditatem ac principatus. Mirum igitur non est, cum absoluta videretur olim numeris omnibus et maxima eius virtus, qui *patriae* profuisset; ad consilium illud amplissimum, bene *de toto genere humano* merendi, assurgere potuisse

a) In illustrando hoc argumento versatur CICERONIS liber de legibus primus, et magna pars libri primi de Officiis. Notionem vero amplissimi consilii, quod Christianae religionis auctor cepit, attingit fere de Off. l. III. c. 5. ubi, *magis est, inquit, secundum naturam, pro omnibus gentibus, si fieri possit, conseruandis aut iuuantis maximos labores molestiasque suscipere, imitantem Herculem illum, quem hominum fama, beneficiorum memor, in concilio caelestium collocauit: quam vivere in solitudine non modo sine ullis molestiis, sed etiam in maximis voluptatibus.*



potuisse neminem. Ut taceam, fuisse multos, qui illud Cyrenaeorum, vel Hegesiacorum potius placitum probarent, τὸν σοφὸν ἑαυτῷ ἕνεκα πάντα πράξεν, ἕδνεα γὰρ ἠγείσθαι τῶν ἄλλων ἐπίσης ἄξιον ἑαυτῷ<sup>b)</sup>, quod quantopere extinguat amorem aliorum, quis non videt? Ac sufficit profecto, nosse philosophorum antiquorum *de finibus bonorum malorumque opiniones*, e quibus facile iudicari potest, multas disciplinas, si sibi consentire vellent, nunquam potuisse ad illam animi elationem eniti, quae requiritur ad consilium tantum ac tam salutare. Nec fallere quemquam debent sententiae, quae passim occurrunt, late patentes et egregiae, veluti illa Theodori πατριδὰ εἶναι τὸν κόσμον, quam etiam Socrates probasse dicitur<sup>c)</sup>; nam vim habet prorsus aliam, nec pertinet ad amorem ac beniuolentiam erga homines omnes, sed hoc sciscit, sapientem vbique beate viuere posse, et patriam esse, vbi bene fit.

In *fabulis autem poetarum* etiam mores magnorum virorum ita saepe describuntur, vt virtutis exprimat imago aliqua perfectior, quam solet in vita humana occurrere: apud veteres tamen nemini vnquam ea tribuitur animi magnitudo, quam fuisse vidimus in auctore religionis Christianae. Atque ii  
C 2 qui:

b) Vid. DIOGENES LAERTIUS I. II. *segm.* 95.

c) Conf. DIOG. LAERT. I. II. *segm.* 99. et CICERO *Quaest. Tuscul.* I. V. c. 37. e quo loco intelligitur, quam vim habeat illa vox.





quidem viri, quorum mores elegantissime describit HOMERUS, multa habent, quae laudanda sint et admiratione digna. Sic in *Achille* expressit herois imaginem, in quo insit rerum humanarum contemptus, animus ingens, gloriae cupiditas insatiabilis, amicorum tenerrimus amor. *Hector* autem omnia habet, quae virum bonum efficiunt; fortitudinem sine ferocia; honoris cupiditatem sine fastu; patriae suorumque amorem ingentem, sine illa saevitia aduersus hostes, qua furit Achilles. Taceo iam *Vlyssis* prudentiam, et animum propositi tenacem; *Nestoris* moderationem, qui gelide omnia tractat, et esse solet laudator temporis acti; reliquorum denique mores, in quibus exprimendis notandisque cernitur profecto summum vatis artificium <sup>d</sup>). Sed quis non videt, hos viros omnes longe remotissimos esse ab ea animi excelsa virtute, iisque consiliis, de quibus hic disputamus? VIRGILIUS, in exprimendis hominum moribus, et fingendis magnorum animorum consiliis Homero longe inferior, nihil profusus habet, quod huc possit referri. Fabulas reliquorum poetarum, qui recte his duumviris posthabentur, praetermitto. Satis enim ex his, quae hactenus disputavi, puto, intelli-

<sup>d</sup>) Vid. BEATTIE *neue philosophische Versuche rom. I. pag. 113. sqq.* et *vitam Homeri*, a PLUTARCHO conscriptam, ubi passim adsparguntur observationes, ad illustrandum hunc locum aptae. Conferri etiam poterit PLATO in *Hippia minore* statim ab initio; et quae a PHILOSTRATO disputantur in *Heroicis*.



telligi posse, ante auctorem Christianae religionis fuisse neminem, qui consilium illud ingens caperet, vel de capiendo cogitaret, quod supra exposuimus. Mirum igitur non est, post eius tempora existisse, qui ad tantam animi magnitudinem, quantum possent, eniterentur, incensi illi hoc praestantissimo exemplari. Satis enim constat, quo studio familiares Iesu, quos Apostolos appellavit ipse, elaborauerint in augenda salute humana, quem magistri adorem omnium optime imitatus est *Paulus* <sup>e</sup>); taceo multos alios, qui Christianae religionis praeceptis impulsus, vitam omnem ac vires in efficienda generis humani felicitate consumserunt. Vnde etiam videtur factum esse, ut recentiores poetae in fingendis magnorum hominum animis antiquos fere superent, postquam auctor Christianae religionis et exemplo docuit et praeceptis, quae consilia sint fere magna, et qua in re cernatur virtutis verae et excelsae diuina praestantia <sup>f</sup>).

C 3

Restat,

e) Conf. Rom. XV. 15 - 24. I Cor. IV. 9 - 13. 2 Cor. XI. 22 - 39. Phil. I. 21 - 26. cet.

f) Sic FENELON in elegantissima *de Telemacho* fabula passim aspergit ea placita, quae apud scriptores antiquos frustra quaeras, in primis vbi de officio principum erga ciues agit. Sed optime veram animi magnitudinem expressit TERRASSONVS, Francogallus, in libro, quem nuper conuertit CLAVDIUS, *V. Cel. Geschichte des Aegyptischen Königs Serhos*; cuius regis animum et mores ita finxit auctor, ut facile intelligatur, eum e placitis Christianae religionis profecisse,





Restat, vt dicamus, *quam vim habeat hoc consilium auctoris Christianae religionis ad firmendam declarandamque dignitatem eius et auctoritatem diuinam.* Pertinent autem, quae disputabimus, non eo, vt existimemus, aliquam ex hac re peti posse demonstrationem, qua *necessario* efficiatur hoc, Iesum fuisse hominem diuinitus missum; nam hoc argumentorum genus non cadit in hanc causam: hoc vero consequitur, vt Iesus fuerit homo plane singularis, cui parem numquam viderit orbis terrarum; qui, si hoc consilium etiam perfecerit, et aliis argumentis, veluti miraculis, humano generi commendatus sit, non possit orator Dei ad homines maximus non haberi.

Ad res igitur arduas ac salutare humano generi excogitandas gerendasque tria potissimum sunt, quae requirantur. Primo quidem *singularis sapientia et animi sollertia*, quae plura simul complectatur et prouideat, quae adsunt, rite cognoscat, futura cernat, causas denique rerum earumque progressus et quasi antecessionem ita prospiciat, vt, quicquid euenerit, statim possit, quid agendum sit, prudenter decernere — Sed vanae sunt consiliorum descriptiones, quantumuis optime excogitatae, nisi accesserit *vis quaedam animi, alacritas et constantia*, quae adhibeat apta adminicula, in agendo ferueat, impedimentis nullis absterreatur, res externas despiciat, atque ita sit propositi tenax, vt nulla re possit





fit ab instituto dimoueri — His virtutibus qui instructus est, potest quidem ille res maximas efficere, et concitare aliorum admirationem; sed deest adhuc ornamentum aliquod, quo efficiatur, vt tantarum rerum auctor etiam *ametur*. Accedat igitur vltimum, quod inesse debet in eo, qui magna consilia et vtilia generi humano capere voluerit, *beniuolentia scilicet erga homines omnes, et societatis humanae ingenius amor*. Ab hoc veluti fonte manent ac deriuentur instituta, consilia, coepta omnia, vt intelligatur, ea nec cupiditate gloriae vel dominandi libidine, nec auaritia suscipi. Quae virtutes eo debent maiores esse, quo latius patent, et quo grauiora sunt, quae capiuntur, consilia. Efficiuntur autem his virtutibus ea ingenia, quae maxima sunt ac splendidissima; in quo tamen genere hoc odiosum est, quod raro coniunctae reperiuntur, sed multis, qui cogitandi et inueniendi celeritate polleant, desit peragendi alacritas; et in iis hominibus, in quibus vtrumque reperiatur, saepenumero desideretur beniuolentia erga genus humanum; vnde existunt homines callidi, seditiosi, procliues ad bella et principatus amantes — Atqui ex eo consilio, quod cepisse vidimus Christianae religionis auctorem, intelligitur, in hoc viro has virtutes fuisse summas, eumque talem se gessisse, qualem nunquam viderit terrarum orbis.

Etenim





Etenim quantam censebimus esse eius *sapientiam*, qui apte excogitauerit id, cuius splendidissima ingenia et sapientissimi viri ne notionem quidem habuissent? Nam qui ante auctorem religionis Christianae aliquid ausi sunt humano generi salutare, ii vix patriam, plerumque satis exiguam, complexi sunt animo, de ornando genere humano cogitarunt nunquam; tantum ac tam excellens consilium non ceperunt etiam maximorum ingeniorum angustiae. Ac prodesse decreuit Christianae religionis auctor hominibus omnibus *ea doctrina*, quae dissiparet tenebras, etiam sapientissimis viris vsque ad illa tempora offusas; iisque praeceptis, quae indoli humanae essent accommodatissima, et ita comparata, ut et imbecillitati humanae succurrerent, et humanam naturam ad summam dignitatem eueherent, ad quam possit eniti. Eae ipsae animorum angustiae, quibus cohibentur consilia reliquorum etiam summorum hominum, quominus ad vniuersum genus humanum pertineant, efficiunt plerumque, ut in institutis humanis aliquid insit, quod nonnisi quibusdam vel gentibus, vel terris ac regionibus, vel ingenii denique et rerumpublicarum formis conueniat; adeo semper ex aliqua parte laborant vulgaria consilia! Eo vitio etiam infecti esse solent cultus religiosi, ab impostoribus inuenti; quo ipso impeditur eorum per omnem terrarum orbem propagatio. Sed ea religio, qua Iesus constituit imbuere genus humanum,  
tam



tam excellens est et perfecta, vt hominibus omnibus, ingenii, rebuspublicis, aetatibus, terris denique, sit accommodata 5) In hoc ipso, quis non videt, inesse summae sapientiae documentum, quae omnium hominum, infinitis fere regionum mariumque spatiis diremptorum, ingenia norit, necessitates cognitas habeat, conditionem denique perspiciat? Atque haec sapientia, quam ne stultissima quidem arrogantia tumens vnquam habere se posse iactauit, fuit in eo viro, qui patriam habuit litterarum lucis expertem, et aetatem iuuenilem obsecurus transegit, nullius magistri disciplina formatus. Quis igitur est, non quidem ex omni antiquitate, sed ex omni humano genere, qui possit contendere cum ingenio, quod fuit in auctore religionis Christianae infinitum profecto ac vere diuinum?

Veniamus ad *animi vim et constantiam*, quae fecit, vt tanti consilii cogitationem non modo aleret Iesus et conseruaret, sed perficeret etiam et exsequeretur. Quam vim fuisse summam, et *rei docet*, quae ipsi proposita erat, *gravitas*,

- 3) Negauit etiam hoc nuper disputator ille Guelpherbytanus non modo de religione Christiana, verum etiam de quauis religione reuelata. Cui accurate sciteque respondit DOEDERLEIN, V. S. R. in libro, qui inscribitur *Fragmente und Antifragmente*, part. sec. Nec praetermittenda sunt, quae HARTLEY disputat: *Betrachtungen über den Menschen*, tom. II. pag. 423. vers. vernac.





*vitae, et decernentis conditio, et impedimenta,* quibus premebatur. Ac primo quidem hoc agebat, ut pessimae superstitionis, per orbem terrarum fusae, monstra tolleret, et vitia illa, quae tunc inter homines late dominabantur atrocissima, emendaret. Iam quis est, qui nesciat, quantum sit et quam arduum, inueteratas opiniones, praesertim si indoli corruptae blandiantur, euellere ex animo vel vnus hominis, eumque ad sapientiam virtutemque conformare? Quis ignorat, Socratem omni virium suarum contentione, quamquam sapientissimus iudicatus esset, non potuisse Athenas, paruam urbem ad orbem terrarum, a superstitione liberare et corrigere? Atqui quod ille Athenis efficere non potuit, id apud homines omnes efficere decernit Christianae religionis auctor. Quantam igitur fuisse censebimus vim animi et constantiam, quae tanti consilii, tamque late patentis, oneri par fuit, quod nostra imbecillitas ne cogitando quidem assequitur — Iam adde *decernentis conditionem*. Hanc summam conuersionem orbis terrarum molitur Iudaeus de plebe, opibus, diuitiis, gratia destitutus, oriundus ex ea gente, quae isto tempore apud reliquas omnes odio flagrabat et contemnebatur. Quis non sentit, quantum sit hoc, quod homo obscurus animum erigere potuerit ad res eas, quas nunquam assecuti sunt ingenia maxima? — Nec metuit *difficultates*, quibus impediri videt vndiquaque, quod instituit.

Non



Non timet popularium atrox odium, quod capiti videt imminere quotidie. Non recusat labores, cum docendi munere coniunctos, quibus fere conteritur. Non defatigatur suorum tarditate, apud quos institutione sua, praeceptis, rebusque gestis parum videt effici. Nihil profecto est ad reprimendam magnorum ingeniorum alacritatem et impetum efficacius, quam si animaduertunt, se fere frustra laborare, et institutis suis deesse successus. At ne hoc quidem Christianae religionis auctori molestum est; tantam enim constantiam, tantam in erudiendis amicis suis ac praeparandis et patientiam probat, et prudentiam demonstrat, ut imperitis benigne indulgeat, ad ipsorum imbecillitatem demittat sese quovis modo, nec nisi ea doceat ac proponat, quae ipsorum ingenio videantur accommodata. Hoc peperit vocem illam diuinam profecto ac prudentissimam: ἔτι πολλὰ ἔχω λέγειν ὑμῖν, ἀλλ' ἔδυνασθε βασιλεῖν ἀγρι<sup>h</sup>). Atqui hos homines, apud quos per integrum triennium parum effecerat, missurus erat ad corrigendos philosophos Graecos et Romanos,

D 2

nos,

<sup>h</sup>) Continet profecto methodus ea, qua Iesus in docendo usus est, et sapientiae summae, et singularis constantiae illustria documenta, ac digna esset, quae paullo vberius describeretur. Multa nuper egregie obseruauit hac de re CONR. FFENNINGER, *Vir. Plur. Reu.* in libello, cuius index est: *von der Popularität im Predigen*, inde a pag. 55. quamquam iis, qui hoc argumentum diligentius tractare voluerint, non dum omnia praeriperit.





nos, ad euertendam superstitionem, imperii Romani potentia firmam, et ad efficiendum illud, in quo adhuc frustra desiderauerant maxima omnium temporum ingenia. Denique nec imminens supplicium, idque terribissimum, fregit diuinam illam animi vim; nec vnquam videtur de consilio suo magis cogitasse Iesus, idque vi maiori complexus, quam cum in eo esset, vt ad crucem raperetur. Etenim iam pacis damnatus profitetur coram iudice: *ἐγὼ εἰς τὸ τοῦ γεέννημα, καὶ εἰς τὸ ἐλύθη εἰς τὸν κόσμον, ἵνα μαρτυρῶ τῇ ἀληθείᾳ.* Nec ignorauit haec impedimenta grauissima, sed ita praecuidit animo, ita praesensit, vt ea de re saepissime verba faceret, suisque omnia praediceret. Iam mihi dicat aliquis, quem ex omni historia cum auctore Christianae religionis comparare possumus, vel in quem cadat animi tanta magnitudo, tanta vis atque constantia?

Longissime vero superat reliquos omnes *beniuolentia erga genus humanum et amore.* Etenim quo maior est eorum, quos complectimur, multitudo, quo grauiora sunt, quae ipsis tribuimus, quo denique molestiores, vt prodesse possimus, labores deuoramus, eo maior censetur nostra fuisse beniuolentia. Atqui ex hoc amplissimo consilio, quod Christianae religionis auctorem cepisse diximus, patet, in eo amore, qui ad gerendas res tantas ipsum impulerit, haec omnia fuisse summa. Summi enim fuerunt *labores ii*, quos exhau-

fisse



fisse eum, dum viueret, et cum supplicium pateretur, memorant auctores sacri. Notauimus iam supra ea impedimenta, quae praestantissimo instituto obstabant, et in quibus superandis tantopere laborauit Iesus. Atque hoc studium indefessum a summa beniuolentia erga homines manasse, cum illud docet, quod huic praecepto, vt iam supra monuimus, sua de moribus praecepta superstruxit veluti fundamento; tum vita illa praeclara demonstrat, quam homines beneficiis cumulando transegit; per omnem enim patriam διήλθεν ἐνεργετῶν — Quae vero tribuere decreuit humano generi, ea profecto tanta sunt, quanta vix cogitando assequimur: Nam quae splendidissima omnium temporum ingenia non viderunt, vel potuerunt exquirere, ea docuit imperitam adeo multitudinem; quae virtutes, quae pietas et constantia olim nonnisi in paucis fuerant viris bonis ac singularibus, eae fecit, vt colerentur a plurimis<sup>1)</sup>; quem denique tot disputationibus vix inuenire potuerunt antiqui philosophi bonorum finem, ad eum perducere secum constituit vniuersum genus humanum.

D 3

mum

1) Verissime BONNETVS ait, primum Christianorum coetum fere nonnisi Socrates et Epictetos habuisse; conf. eius librum praestantissimum, qui inscribitur: *Philosophische Vnnersuchung der Beweise für das Christenthum* pag. 308. Qui liber, in linguam nostram conuersus a LAVATERO *Vir. Cel.* vt alia multa bonae frugis, ita etiam nonnulla continet, ad illustrandum argumentum apta, quod hactenus tractauimus.





mum vero in hac beniuolentia illud est, quod *omnes* complexus est Christianae religionis auctor. Sic enim proxime accedit ad illum Dei ipsius amorem, qui hoc habet proprium, vt ad omnes pertineat, omniumque curam agat. Ita enim quisque Deo simillimus est, vti quam plurimos amat et iuuat; ad tantam vero similitudinem cum Deo, quantum hoc ipso consilio expressit Christianae religionis auctor, quis quaeso vnquam aspirauit, aut omnino potuit aspirare? Hoc ipsum fecit, vt sagacissimus meritorum ratiocinator <sup>k)</sup> Domini merita non quidem metiretur; nam cum sint infinita, metiri non poterat: sed admirabundus pie deueneretur.

Quae hactenus disputauius, iis non obstat, si quis dicat, hoc ingens consilium non exsequi potuisse Iesum, sed superesse maximam fere generis humani partem, quae ista bona nondum percipiat. Etenim *iam ipsa tantae rei cogitatio* requirit dotes illas ac virtutes omnes, quas memorauimus, et auctor Christianae religionis vir diuinus esset ae plane singularis, etiam si irriti fuissent tanti conatus. Deinde quam humile est, ac nobis, ad quos istius consilii fructus pertinent, indignum, eleuare velle ac minuere ea, quae vere euenerunt. Etsi enim magna pars generis humani salutare illud consilium nondum sensit; tamen quis est, qui animo

k) ABBT in libro de meritis, pag. 189.



mo complecti vel metiri audeat ea bona, quae apud reliquos homines iam producta sunt? Ad haec enim, si verum fateri voluerimus, omnia omnium praestantissimorum virorum, quos antiquitas habuit, merita fere nihil sunt; tantas enim res gessit iam Iesus, quantas audere vix hominis est, perficere nullius nisi Dei. Et ipsi profecto philosophi recentiores, qui sibi interdum vehementer placent in carpenda Christiana religione, miseri essent ac pauperuli, nisi ex hac in suas tenebras lucem aliquam deriuassent, et furripuissent ipsi multa bona, quae iam superbe iactant. Cogitemus denique, tantum consilium, quantum ceperit Christianae religionis auctor, nonnisi *sensim* posse perfici; quod cum per tot secula non modo durauerit, sed etiam pluribus semper profuerit: spes profecto est, fore, ut magis magisque habeat euentum, ac tandem perficiatur totum. E qua spe ita quisque maiorem capiet laetitiam, ut ipse est non modo vir melior, verum etiam generis humani amantior.

Venio iam ad id, cuius causa haec praesanda fuerunt. Scilicet quod nuper mihi clementissime delatum est, philosophiam publice in hac academia docendi munus extraordinarium, id iam auspicandum est oratione sollempni, et significanda deuotissimae mentis pietas in SERENISSIMVM ELECTOREM AC PATRIAE PATREM FREDERICVM AVGVSTVM, *summosque patro-*

*nos*





nos ac *Fautores*; quorum adhuc beniuolentiam sum expertus. Dicam vero de *reuocanda Latine de philosophia scribendi consuetudine*; ad quam orationem audientem **RECTOREM ACADEMIAE MAGNIFICVM, Illustrissimum Comitem, Patres Academiae Conscriptos et Fautores reliquos, Commilitones denique Generosissimos ac Nobilissimos** decenter inuitamus.





ULB Halle

3

004 057 996




v298

56











1828 K 344  
9845  
L 5,27

CONSILIVM  
BENE MERENDI DE VNIVERSO HVMANO  
GENERE INGENII SVpra HOMINEM ELATI  
DOCUMENTVM

PROLVSTO

QVA AD

ORATIONEM  
AFFECTIONALEM

PROFESSIONIS PHILOSOPHIAE EXTRAORDINARIAE

AD D. IVL. CLCCLXXX

PUBLICICE RECITANDAM

OMNI QVA PAR EST OBSERVANTIA INVITAT

FRANCISCVS VOLKMAR REINHARD

VITEBERGAE,  
LITTERIS ADAMI CHRISTIANI CHARISIL

1780  
415